

ARTICULUS I.

De convenientia Incarnationis.

EX multiplici capite potest attendi hæc convenientia : 1. Ex parte Dei. 2. ex parte generis humani. 3. ex parte totius universi. 4. ex parte persone assumptis. 5. ex parte naturæ assumptæ, tam quoad speciem, quam quoad sexum. 6. ex parte temporis, quo facta est Incarnatio.

Dico 1. (Hic q. 1. art. 1. o.) Conveniens fuit Deo incarnari. Prob. 1. (Ib. in art. 5. c.) Illud opus est Deo convenientissimum, in quo relucet ejus perfectiones; ad hoc enim totus mundus conditus est, ut gloriam Dei manifestet, & ut per visibilia invisibilia Dei conspiciantur; & ideo dicitur, quod omnia propter semetipsum fecerit Dominus. Atqui in Mysterio Incarnationis mirè relucet, ac manifestantur perfectiones Dei, nempe Bonitas, Sapientia, Justitia, & Potentia: Bonitas, quoniam non desepit proprii plasmatis infirmitatem; Justitia, quoniam rigorosam exhibuit peccatorum satisfactionem; & homine victo, non alio, quam homine fecit vinci tyrannum; Sapientia, quoniam difficillimi pretii adinvenit decentissimam solutionem, & difficillimam justitiæ cum misericordia conciliationem: Potentia, quia nihil est majus, quam Deum fieri hominem, & tam distantia jungere.

Prob. 2. (Ibid. o.) Convenit summo bono, qualis est Deus, se summo modo communicare. Atqui Deus per Incarnationem se summo modo communicat ad extrâ. Ergo. Maj. patet: quia, cum bonum sit de se, seu ex natura sua sui diffusivum, & communicativum, sequitur quod summum bonum sit summè communicativum. Prob. Min. Nullus major nec intimior excogitari potest modus communicationis, quam quod ex tribus, Verbo, anima, & carne, una fiat persona; seu quo Creator, & creatura una persona evadant, ut fit in Incarnatione. Quadrupliciter enim Deus se communicat ad extrâ, in ordine naturæ, gratiæ, gloriæ, & unionis hypostatice. In ordine naturæ dona sua communicat, sed naturalia. In ordine gratiæ communicat quidem supernaturalia, sed creata. In ordine gloriæ seipsum communicat, sed tantum in esse intelligibili. At in unione hypostatice seipsum communicat secundum esse proprium naturale, & personale, ita ut verum sit dicere: Deus est homo, homo est Deus. In 1. communicatione fecit hominem rationalem, in 2. Sanctum, in 3. Beatum, in 4. Deum. Ergo.

Dices 1. Videntur divinæ perfectiones obscuratæ in hoc mysterio, maxime divina Majestas ex tanta humiliatione, & conjunctione ad vilem carnem. Ergo. R. Quod, sicut sol illuminando lutum, nihil sordidum inde recipit, & sicut anima corpori unita non foedatur, ita nec Divinitas carni conjuncta. Adde, quod in omnibus humanitatis Christi humiliationibus semper aliquis splendor fulgor Divinitatis. Concipitur in carne, sed de Spiritu S. nascitur, sed de Virgine. Jacet in Præsepio, sed a Regibus adoratur. Fugit in Ægyptum, sed ibi Idola subvertit. Vivit Pauper, sed miracula patriæ. Rapitur a militibus. Moritur, sed sol obscuratur. Sepelitur, sed propria virtute resurgit.

Repones: Magis eluxisset divina Bonitas, si Deus gratis peccata nostra nobis remisisset. Ergo. R. N. Ant. Majoris enim bonitatis est nobis inimicis suis filium suum dare, quam offensas gratis remittere. Adde, quod non fuissent servata justitiæ jura.

Dices 2. Si Deo fuit conveniens incarnari, ergo non incarnari fuit inconveniens; quod non potest dici, cum Deus aliquid inconveniens facere non possit, & tamen poterit non incarnari. R. D. Ant. Si Deo fuit conveniens, ut necessarium, & debitum incarnari, non incarnari fuit inconveniens. C. Si Deo fuit conveniens, ut liberum, & C. N. Si conveniens est servare virginitatem, non est tamen inconveniens uti matrimonio, quia utrumque liberum est. Incarnatio autem sic Deo fuit conveniens, ut tamen ipsi esset libera.

Dico 2. Incarnatio fuit maxime conveniens generi humano. Patet ex multis commodis, quæ homini per Incarnationem obveniunt. A demonis, & peccati servitute liberatum: verbis, & exemplis Christi ad virtutem instruitur, & incitatur: jus ad gratiam, & gloriam ejus meritis acquirit, ejus natura sublimatur ad usque divinitatem, cui fit quodam modo consanguinea: facilius habet accessum ad Patrem per filium ejus, qui frater, & caro nostra est: facta est ipsi facilius, & planior via salutis per

abundantiores gratias, & Sacramenta. Alias rescenset utilitates S. Doct. art. 2.

Dico 3. Incarnatio fuit conveniens toti universo. Patet ex præcedenti. Cum enim homo sit quoddam universi compendium, & epilogus, habet enim esse cum lapidibus, vivere cum plantis, sentire cum brutis, intelligere cum Angelis; fit inde, ut omnia cum homine, per Incarnationem decorata sint, atque nobilitata. Et ideo dicitur ad Ephes. 1. Omnia in Christo esse ins-taurata.

Dico 4. (Ib. art. 5. & 6.) Inconvenienter facta fuisset Incarnatio in principio, & in fine mundi; sed convenienter peccata est in plenitudine temporis. Prob. 1. pars. (Ib. art. 5. o.) Neque ante peccatum, neque statim post peccatum conveniens erat Verbum incarnari. Ergo. Prob. Ant. Non ante peccatum; quia opus Incarnationis principaliter ordinatur ad reparationem generis humani, per peccati abolitionem: non autem datur medicina nisi jam infirmis. Unde Christus Matt. 9. dicit: Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus. Non enim veni vocare justos, sed peccatores. Non statim post peccatum: 1. ut homo, qui per superbiam peccaverat, profundè humiliatus, magis agnosceret morbi sui gravitatem, naturæ, & legis infirmitatem, ac medici necessitatem, sicut ad eum clamaret, & gratiæ quæreret auxilium. 2. Ut paulatim ad id, quod perfectum est, procederet, in quo processu est natura, secundò Lex, tertio gratia. Naturalis enim ordo est, ut ab imperfecto ad perfectum veniatur. 3. Propter dignitatem Verbi incarnati: ut enim dicit Glossa super c. 4. ad Galat. Quantò major Judex veniebat, tanto præconum series longior præcedere debebat; qui scilicet per oracula, figuras, variæque Sacramenta veteris Legis tanti Salvatoris prænnuntiarent adventum, 4. Ne fervor fidei temporis prolixitate tepesceret. Ea est enim conditio hominum, ut non diu in virtutum exercitio perseverent, ut patet in Ecclesie progressu, quæ a primævo fervore tantum deficit. Unde Luc. 18. dicitur: Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra? Ergo.

Prob. 2. pars. 1. (Ibid. art. 6. o.) quia Incarnatio est causa efficiens ejus perfectionis, quæ in nobis est per gratiam, De plenitudine enim ejus omnes accepimus. Joann. 1. Non decet autem, quod causa efficiens perfectionis tantum differat: alias pauci proficerentur, & paucis profuisset Christus. 2. Quia non conveniebat, Verbum tunc incarnari quando notitia Dei penitus excidisset, & spes de eo quasi desperata, & mores omnino essent corrupti; quod contigisset, si usque ad finem mundi venire distulisset. 3. Ut manifestaretur divina virtus, quæ pluribus modis homines salvavit, non solum per fidem futuri, sed etiam per fidem presentis, & præteriti. Consequenter conveniens fuit etiam, quod est tertia pars, ut Christus veniret in plenitudine temporis, ut ait Apost. ad Galat. 2. vel in medio annorum, ut dicitur Habacuc 3. non quidem mathematicè, quasi tot anni supersint post Incarnationem, quot effluerunt ante illam; id enim incertum est; sed moraliter, in quantum non est facta neque in principio, neque in fine temporum; quod est enim inter duos terminos, dicitur in medio, quamvis magis distet ab uno extremo, quam ab alio. Intelligit etiam plenitudinem temporis definiti a Deo; quia tunc Deus adimplevit mysterium, quod præfignierat, adimplevit figuras, promissiones, & dedit plenitudinem gratiæ.

Dices contra 1. partem. Caritas non tardat subvenire amico necessitatem patienti. Atqui Deus nimia caritate dilexit nos, Ephes. 2. Ergo. R. D. Maj. (Ibid. art. 5. ad 1.) Caritas non differt subvenire amico, salva tamen negotiorum opportunitate, & personarum conditione. C. Secus, N. Si enim Medicus statim a principio ægritudinis medicinam daret infirmo, aliquando minus proficeret, vel magis læderet, quam sanaret. Et ideo etiam Dominus non statim a principio incarnationis remedium humano generi exhibuit, ne illud contemneret ex superbia, si prius infirmitatem suam non agnosceret.

Dices 2. Si Christus citius venisset, plures fuissent salvati. Ergo. Respondet S. Doct. ad 2. quod Aug. dicit in libr. de sex Quæst. Paganorum Ep. 49. quod tunc Christus voluit hominibus apparere, quando, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerint credituri; sed quod hanc responsonem retractaverit in libr. de perseverant. c. 6. adducto exemplo de Tyrriis, & Sidoniis. Item c. 10. & l. 2. de Retract. c. 31. Unde ad argumentum: utrum plures salvati

fuis-

fuisset, si a principio venisset Christus? R. esse valde incertum. Proximioribus fortè magis profuisset sanguis recens effusus, qui remotioribus propter refrigerentem charitatem nihil profuisset. Aliunde ante Christi adventum non defuerunt auxilia gratiæ ad salutem sufficientia ex ejus prævis meritis.

De aliis convenientiis dicemus infra secundum ordinem D. Thomæ.

ARTICULUS II.

De necessitate Incarnationis.

§. I. Utrum Incarnatio fuerit necessaria ad reparationem generis humani?

Dupliciter (Ibid. a. 6. o.) aliquid dicitur necessarium ad finem. Uno modo simpliciter, & absolute, utpote sine quo aliquid esse non potest, sicut cibus est necessarius ad conservationem vitæ. Alio modo secundum quid, quatenus per id melius, & convenientius pervenitur ad finem, sicut equus necessarius est ad iter.

Dico. (Ibid.) Incarnatio non fuit simpliciter necessaria ad reparationem generis humani, sed tantum secundum quid. Primam partem docent unanimiter SS. Patres, Athanas. Orat. 3. cont. Arianos, Greg. Nazianz. Orat. 9. Theodoret. Serm. 6. cont. Græcos, Leo Magnus Serm. 2. de Nativ. Cyrillus Alex. Libr. de Incarnat. Gregorius Magnus l. 20. Moral. c. 26. Joannes Damasc. l. 3. c. 18. Bernard. Ep. 190. & Serm. 11. in Cantic. Aug. l. 13 de Trinit. c. 10. & Libr. de Agone Christiano c. 11. ubi dicit: Sunt stulti, qui dicunt: non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi suscipere hominem, & nasceretur de femina, & a peccatoribus omnia illa pateretur. Quibus dicimus: poterat omnino; sed si aliter faceret, similiter vestra stultitia displiceret. Ratio est; (Ibid.) quia Deus per suam omnipotentem virtutem poterat humanam naturam multis aliis modis reparare, vel illi condonando injuriam, sibi per peccatum illatam, ut persona offensæ, & supremus Judex; vel acceptando aliqualem hominis satisfactionem; vel quoquo modo sibi placuisset. Ergo. Prob. Ant. In his nulli involvitur contradictio; & Deus est liberissimus respectu operam ad extrâ.

Prob. 1. pars. (Ibid.) Id melius, & convenientius est ad reparationem generis humani, per quod homo melius, & facilius promovetur ad bonum, & recedit a malo; atqui hoc utrumque obtinet per Incarnationem: ergo. Prob. 1. pars. Minoris quinque rationibus. 1. Per Incarnationem magis certificatur fides; magis enim creditur Deo loquenti. 2. Spes magis erigitur. 3. Caritas magis incenditur, utraque per manifestationem tantæ Dei dilectionis erga nos. 4. Exemplum bonæ operationis nobis præbetur. 5. Planè divinitas participatur, in qua vera hominis beatitudo consistit. Prob. 2. pars. Minoris etiam quinque rationibus. 1. Quia homo per Incarnationem instruitur, ut diabolum contemnat, & detestetur, ex eo quod per hoc Mysterium sit humiliatus. 2. Innotescit humanæ naturæ dignitas, quam sordibus peccatorum inquinare dedecet. 3. Præsumptio tollitur per hoc, quod gratia Dei nullis præcedentibus meritis in homine Christo commendatur. 4. Superbia per tantam humiliationem redarguitur, & sanatur. 5. Homo a servitute diaboli, & peccati liberatur. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. contra 1. partem. Deus necessario, & ex natura sua est justus; immò est ipsa justitia, nec omnino potest esse injustus, quia seipsum negare non potest, ut dicit Apost. 2. Tim. 2. Atqui justitia exigit punitionem peccati: ergo necessaria fuerit simpliciter Incarnatio, ut Christus pœnas peccato debitas justitiæ Dei satisfaceret. Ità Honor. Tournely, qui, licet agnoscat Deum posse de potentia extraordinaria reparare hominem absque Incarnatione, tenet tamen non posse de potentia ordinaria, temperata virtute justitiæ, quasi verò potentia extraordinaria non debeat esse temperata virtute justitiæ. Fortè poterit Deus de potentia extraordinaria aliquid injustum? Peccat ergo Tournely in ipso limine: & dum dicit, Deum non posse potentia ordinaria dimittere peccatum sine satisfactione, quia non potest esse injustus, & se negare, probat pariter, id non posse potentia extraordinaria, quia Deus non potest etiam potentia extraordinaria facere injustum, & se negare. Ergo præmissio.

R. 1. ad argumentum. S. Th. infra q. 46. art. 2. ad 3. idem argumentum iisdem fermè terminis sibi proponit, & sic respondet. Ad 3. dicendum, quod hæc etiam (Dei) justitia dependet ex voluntate divina, ab humano genere satisfactionem exigente pro peccato liberare, contra justitiam non fuisset; ille enim judex non potest, salva justitia, culpam sine poena dimittere, qui habet punire culpam in alium commissam, puta vel in alium h. Theol. Billuart. Pars Tertia.

minum, vel in totam Rempublicam, sive in superiorem Principem. Sed Deus non habet aliquem superiorem, sed ipse est supremum, & commune bonum totius universi. Et ideo, si dimittat peccatum, quod habet rationem culpæ ex eo, quod contra ipsum committitur, nulli facit injuriam; sicut quicumque homo remittit offensam in se commissam absque satisfactione, misericorditer, & non injustè agit. Et ideo David misericorditer potens dicebat: Tibi soli peccavi: Quasi dicat: Potes sine injuria mihi dimittere. Hæc S. Doctor. Indè D. Maj. argumenti: Deus est necessariò, & ex natura sua justus in actu 1. C. In actu 2. & quoad exercitium hujus justitiæ, N. Id enim juxta S. Thom. pendet ab ejus liberrima voluntate. Ad hunc sensum, D. Min. Atqui justitia exigit simpliciter necessariò punitionem peccati, N. Dependenter a divina voluntate, & quantum illi placet, C. Et ut præveniatur instantia; ne dicas cum Tournely Deum non esse tantum partem lesam, sed judicem publicum, rectorum universalem, cujus est bonum publicum tueri: respondet enim tibi S. Thom. Deum ipsum esse supremum, commune bonum totius universi; & ideo, si dimittat peccatum, quod contra ipsum committitur, nulli, nec etiam bono communi, facit injuriam.

R. 2. D. Min. Justitia exigit satisfactionem pro peccato aliqualem, transeat ad sensum præcedentis satisfactionis: rigorosam, aut saltem condignam, N. Ità ipsemet objiciens, qui fatetur Deum in exercitio justitiæ esse liberum quantum ad mensuram, & gradum satisfactionis, seu pœnæ infligendæ, posseque mitiorem exigere, quam culpæ mereatur. Ergo liberum illi fuit aliqualem creaturæ satisfactionem acceptare. Ergo non fuit necessaria Incarnatio. Sed nunc, velim scire, Theologus Parisiensis habet, quod Deus sit liber circa condignitatem, & non circa substantiam satisfactionis; utrumque enim exigit justitia, nec Deus potest se magis negare in uno, quam in altero. Ficta ergo videtur hæc distinctio, & ad subterfugium excogitata.

Int. 1. cum eodem: Deus necessariò odit peccatum, nec eam potest non odire, quod suæ sanctitati, ac justitiæ adversatur. Atqui istud in odium Deo nihil est aliud quam constantis voluntas illud puniendi. Ergo. R. D. Maj. Deus necessariò odit peccatum, quamdum remanet, C. Si deleatur, N. Potest autem illud delere vel condonando, vel aliqualem satisfactionem ob homine acceptando, vel alio modo sibi noto, & in thesauris divinæ omnipotentia latente.

Inst. 2. Deus non potest magis peccatum impunitum remittere, quam posset præmium merito denegare. Atqui non potest, salva justitia, præmium merito denegare. Ergo. R. N. Ant. Disparitas est, quod per meritum acquiritur merenti jus ad præmium: undè si eo frustraretur, violaretur ejus jus, & fieret illi injuria. At per peccatum non acquiritur peccanti, sed personæ læsæ jus ad exigendam satisfactionem; quam ideo si remittit gratis, nemini facit injuriam.

Obj. 2. cum eodem auctoritatem S. Anselmi, qui toto fermè libro, Cur Deus homo, duo contendit. Primum, Deum non potuisse lapsum hominis permittere, quin statim ejus reparationem decreverit. Alterum est, hominem non debuisse, nec potuisse alia, quam plenè atque condignè satisfactionis atque adeò Incarnationis, via redimi ad liberari. Ut hæc duo probat, istud fundamentum ponit l. 1. c. 10. Sicut in Deo quantilibet parvum rationem, si majori non vincatur, comitatur necessitas. Ex quo principio concludit c. 22. Quapropter, si non decet Deum aliquid injustè, aut inordinatè facere, non pertinet ad ejus libertatem, aut benignitatem, aut voluntatem, peccantem, qui non solvit Deo, quod abstulit, impunitum dimittere. Ergo. Si fides est objiciens in his, quæ tribuit. D. Anselmo, tria docet S. Doctor, quæ negat ipse Tournely. Primum, Deum non potuisse homini lapsum permittere, quin statim ejus reparationem decreverit. Hoc negat Tournely conclusione 2. præcedenti. Secundum, hominem non potuisse liberari alia via, quam condignæ satisfactionis. Hoc negat Tournely q. 2. in 1. probatione conclusionis, alibi. Tertium, Deum non posse etiam de potentia extraordinaria peccatum remittere sine satisfactione, si quidem nec de potentia extraordinaria possit Deus aliquid injustum, & inordinatum: & hoc tertium negat Tournely conclusione præcedenti. Undè hoc argumentum, prout proponit, plus ipsi nocet, quam nobis, & ab ipso prius est solvendum. Hoc præmissio.

Ad Anselmi testimonium variè sunt Responsiones. Quidam ingenue agnoscent, eum fuisse in hac sententia, quam illi tribuit arguens; sed ipsum in hoc esse descendendum, utpote unanimi aliorum SS. Patrum sensui dissentaneum. Alii ipam intelligunt de necessitate secundum quid, seu congruentiæ, vel de necessitate per respectum ad condignam satisfactionem. Alii tandem cum S. Bonaventura, & Alensi, quibus subscribimus, dicunt, Anselmum loqui in hypothesis decreti divini de reparatione hominum per satisfactionem condignam consequentem.

quenter de necessitate hypothetica, & consequente, non absoluta, & antecedente. Id demonstratur ex ipso eodem opere: etiam l. 2. dicitur operis c. 5. solvens hanc objectionem, quod si Deus causa vitandæ indecentiæ necessitetur reparare genus humanum per incarnationem & satisfactionem Filii, gratia beneficii minuat; respondet gratiam beneficii augeri, cum aliquis sponte necessitati beneficiendi se subdit; & adfert exemplum necessitatis ortæ ex promissione, vel voto, quæ aperte est necessitas ex suppositione, & consequens. Et c. 17. ostendit, omnem necessitatem, de qua locutus est, divinæ subjacere voluntati, & nihil necessarium esse, nisi quia Deus ita decrevit. Ergo manifestum est, Anselmum loqui ex suppositione divini decreti, consequenter de necessitate hypothetica, & consequente, non absoluta, & antecedente.

De eadem necessitate ex suppositione intelligendi sunt quodammodo SS. Patres, dum dicunt, Deum non potuisse sine Filii satisfactione reparare hominem lapsum; constat enim ex Probat. Conclusionis, ipsos unanimiter sentire id potuisse simpliciter, & absolute. Id verò, quod dicitur, Deum non posse facere, quod est inconveniens, verum est de inconvenienti privati, seu contrariè, quando nempe fit aliquid contra id, quod convenit, & oportet; non verò de inconvenienti negativè, quando scilicet aliquid omittitur, quod certa ratione conveniret, cujus tamen faciendi nulla est obligatio. Cum ergo, supposito lapsu hominis reparandi, Incarnatio sit conveniens divinæ bonitati, & justitiæ, si eam non decrevisset, omisit fuisse aliquid, quod est conveniens: sed quia nullo jure ad eam volendam tenebatur, si eam non voluisset, nihil egisset contra quam convenisset, & oportuisset: nec in hoc casu defuissent divinæ sapientiæ rationes, & convenientiæ sic agendi.

Nota enim bene, quod Deus non semper faciat, aut debeat facere id, quod est melius, perfectius, & convenientius ex parte operis; alia debet facere mundum perfectiorem, & perfectiorem in infinitum; sed quod suæ voluntati, quæ est fons, & regula totius rectitudinis, magis congruit in ordine ad fines, quos liberrimè sibi constituit.

Obj. 3. contra 2. partem Gratis debemus dimittere debitoribus nostris: ergo convenientius Deus sic egisset nobiscum, sic enim dedisset exemplum. R. N. Conseq. Alia enim est ratio privati hominis, alia judicis & superioris: illi laudabile est offensam sine satisfactione dimittere; isto verò misericordiam justitiam temperare debet, ne impunita, & facilitate veniæ laxentur habent peccatoribus. Cum ergo Deus sit simul pater misericordiarum, & ultionum dominus, debuit unum tributum altero temperare; quod in Incarnatione mirabiliter effectum est.

§. II. Utrum ad condignam satisfactionem pro peccato necessaria fuerit Incarnatio?

Nota 1. Licet absolute, & simpliciter non fuerit necessaria Incarnatio ad reparationem generis humani, ut vidimus §. præced. controvertitur tamen, utrum saltem ad satisfaciendum de condigno pro peccato non fuerit necessaria, ita ut homo purus non poterit talem satisfactionem Deo exhibere. Nota 2. sermonem esse de homine puro, non per exclusionem gratiæ, sed per exclusionem Divinitatis, hoc est, de homine non Deo. Item questio de peccato proprio, vel alieno. Insuper intelligimus hic incarnationem latè, prout significat assumptionem naturæ creatæ, sive sit angelica, sive humana.

Nota 3. Satisfactionem, quæ est recompensatio, seu redditio voluntaria alicujus debiti, aliam esse sufficientem, & perfectam, aliam insufficientem, & imperfectam. Perfecta attenditur penes duo. 1. Penes materiam, seu pretium, quo fit compensatio; 2. Penes formam justitiæ, quæ non considerat solum materiam valorem, sed etiam conditionem personæ satisfaciens. Itaque tunc est perfecta ex parte materiæ, quando res oblata adæquat debitum, ut si furatus fueris centum, offeras rem valentem centum: si secus, erit imperfecta ex parte materiæ, cujus proinde defectus suppleri debet gratia creditoris. Tunc est perfecta ex parte formæ, seu modi justitiæ, cum servantur conditiones strictæ, & rigorosæ justitiæ, quæ solent numerari quinque à Theologis: 1. quod sit ad alterum; 2. quod sit ad bonis propriis; 3. nec alio titulo debitis; 4. nec sub dominio creditoris contentis; 5. quod creditor teneat illam satisfactionem acceptare. Imperfecta erit ex parte formæ, si aliqua ex his conditionibus desit. Perfectam ex parte materiæ tantum vocamus condignam, seu de condigno; perfectam autem etiam ex parte formæ vocamus rigorosam, seu de toto rigore justitiæ.

Suppono ut certum, hominem purum non posse Deo pro peccato offerre satisfactionem secundum totum rigorem justitiæ; quia nihil potest exhibere Deo, sive naturale, sive supernaturale, quod non sit à Deo creditore collatum; & quod Deus teneat acceptare. Insuper, si vix in Deo homine purificentur præfate conditiones, ut videbitur infra, quanto minus in homine puro.

Restat ergo difficultas tantum de satisfactione de condigno, seu perfecta ex parte materiæ, & pretii æquivalentis.

Dico 1. Homo purus non potuit Deo satisfacere de condigno pro peccato mortali suo, vel alieno; adeoque ad hujusmodi satisfactionem necessarium fuit, Deum incarnari. Ita Aug. in Enchir. c. 108. Neque per ipsum liberaremur unum mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum, nisi esset & Deus. Et S. Leo serm. 1. de Nativit. Nisi esset verus Deus, non haberet remedium; nisi esset verus homo, non præberet exemplum.

Prob. verbis, & ratione S. Th. (Ibid. ad 2.) Peccatum, inquit, contra Deum commissum, quamquam infinitatem habet ex infinitate divinæ Majestatis; tantò enim offensiva est major, quanto major est ille, in quem delinquitur. Unde oportuit ad condignam satisfactionem, ut actus satisfaciens haberet efficaciam infinitam, ut pote & Dei & hominis existens.

Variè quidem variè hanc quamdam infinitatem peccati, de qua S. Th. explicat. Quidam volunt esse infinitatem secundum quid tantum, & objectivam; & ideo dixisse S. Thomam quamdam infinitatem. Alii, esse infinitatem simpliciter, hoc est absolute, sed non omnibus modis, nec in ratione entis, sed tantum in genere moris, & ideo dixisse S. Thomam quamdam infinitatem; sed quovis modo intelligatur, currit ratio S. Doctoris.

Et quidem patet, si dicatur offensiva peccati infinita simpliciter, quam sententiam elegimus in Tract. de peccatis Dissert. ultima 2. §. Quia injuria simpliciter infinita non potest condignè resciri per satisfactionem valoris finiti; atqui satisfactio cujuscunque creaturæ est valoris finiti; ergo Prob. Min. Valor, & æstimatio satisfactionis desumitur ex persona satisfaciens, quia persona satisfaciens est subjectum satisfactionis; unde dicitur communiter honor est in honorante; & ideo tantò major æstimatur satisfactio, quanto est dignior & excellentior persona satisfaciens; quia ratio satisfactio Christi est simpliciter infinita, quia persona satisfaciens est divina, & infinita. Atqui creatura satisfaciens, quantumvis supernaturalibus donis exornata, est finitè dignitatis. Ergo.

Si autem juxta alteram intelligentiam dicatur, injuriam peccati esse infinitam objective tantum, & secundum quid, sicut actus charitatis dicitur infinitus objective, quia habet per objecto Deum infinitum; nihilominus militat ratio D. Th. quæ secundum hunc sensum sic proponitur: Injuria, Deo per peccatum mortale illata, etsi sit infinita tantum secundum quid, reparari condignè non potest per actum poenitentis, aut charitatis, quantumvis ferventis, puræ creaturæ. Ergo. Prob. Ant. Gravis injuria mortalis non consistit solum in hoc, quod auferatur à Deo ratio ultimi finis, ad quod habet jus strictum, sed & insuper quod hujus juris violatio, & divinæ Majestatis depressio ac contemptus fiat à vili creatura, ipsum offendere præsumente. Atqui per actum charitatis, quantumvis ferventis, quo creatura in amicitiam Dei redit, & ipsum pro fine ultimo iterum amplectitur, non compensat condignè injuriam, de qua in Majori. Ergo. Prob. Min. Quia longè atrocius, & gravior est, Deoque magis injuriosum, ipsum vili creaturæ subijci, quam sit ipsi honorificum creaturam hanc ei subijci, sicut indignius est Regem subdito mancipari, quam sit honorabile Regi mancipium ipsi subdi. Quapropter inde decrescit valor satisfactionis, unde crescit gravitas offense. Ergo.

Dico 2. Homo justus potest condignè satisfacere pro peccato veniali. Prob. 1. Peccatum veniale est ab intrinseco reparabile, quia non tollit gratiam, quæ est radix vite supernaturalis, nec conversionem ad ultimum finem, qui est principium vite humanæ, & ex quo reparari potest tamquam ex primo principio quidquid retardat ejus executionem: secus autem peccatum mortale. Atqui pro illo, quod reparari potest, potest etiam satisfieri; peccatum enim integrè non reparatur, donec pro eo sit satisfactum. Ergo homo justus, &c.

Prob. 2. Ideo à puro homine non potest reparari injuria peccati mortalis, quia per illud persona infinita deprimitur & subijcitur vili creaturæ, jusque, quod habet, ut sit ultimus finis, simpliciter læditur; cui injuriæ humiliatio cujusvis creaturæ non æquiparatur, ut ponderavimus modò. Atqui per peccatum veniale persona divina non subijcitur creaturæ, nec jus, quod habet, ut sit ultimus finis, læditur simpliciter, sed tantum secundum quid, in quantum Deus remanet semper finis ultimus hominis peccantis venialiter, & impeditur tantum extensio finalizationis quoad actum, ut clarius patebit ex solutione objectionum. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. contra 1. conclusionem. Illa satisfactio est de condigno, quæ reddit personæ offensæ totum, quod ipsi abstulit: atqui homo per actum charitatis reddit Deo totum, quod ipsi abstulit per peccatum. Ergo. Prob. Min. Homo per peccatum à Deo abstulit quoad affectum scilicet rationem ultimi finis; atqui id totum ei reddit etiam quoad affectum per actum

tum charitatis: ergo. R. D. Maj. Illa satisfactio est de condigno, quæ reddit personæ offensæ totum, quod illi abstulit per actum adæquantem gravitatem injuriæ, C. Maj. Per actum non adæquantem gravitatem injuriæ, N. Maj. Sic enim potius dici debet solutio, seu restitutio, quam satisfactio: & ad hunc sensum distincta Min. N. Conseq. Hæc est igitur differentia inter restitutionem, & satisfactionem, quod ad restitutionem sufficit reddere rem ablata, seu rei ablata æquivalentem, ut si furatus fueris centum, reddas centum; ad satisfactionem autem injuriæ, seu inhonorationis requiritur ulterius, quod res ablata restituatur per actum adæquantem gravitatem injuriæ, & quod tantum honoris personæ offensæ reddatur, quantum ei fuerat ablatum. Sic. v. gr. si plebejus filiam Regis, ipso præsentè, & invito, rapuisset, eam reddendo, & satisfaceret quidem pro re ablata, sed non pro injuria illata; & talis actus possit dici restitutio, non tamen condigna satisfactio, quia nempe illius plebei subiectio, & humiliatio non adæquaret gravitatem injuriæ, & inhonorationis Regi factæ. Similiter itaque, licet homo per actum charitatis reddat Deo rationem ultimi finis quoad affectum, quam ipsi per peccatum abstulit, non tamen per actum adæquantem injuriam, & inhonorationem Deo factam, cum sit longè atrocius Deum subijci creaturæ, quam sit honorificum Deo creaturam ipsi subijci, ut explicatum est supra. Unde brevius posset distingui Min. sic: per actum charitatis homo reddit Deo totum, quod illi abstulit, & eo modo, quo illi abstulit, N. Et diverso modo, C. Peccatum enim subijcit Deum summum vilissimæ creaturæ; charitas autem subijcit vilissimam creaturam Deo summo: subijcere vero Deum creaturæ longè majus est, quam subijcere creaturam Deo.

Inst. Actus charitatis est valoris adæquantis injuriam peccati: ergo. Prob. Ant. Utrobique est tantum infinitas secundum quid: ergo. R. N. Ant. Ad prob. N. Ant. secundum 1. sententiam. Juxta secundam verò D. Ant. Utrobique est infinitas secundum quid, sed in diverso genere, C. Ant. Et in eodem genere, N. Ant. Ideo enim peccatum est infinitum saltem secundum quid, quia Deum infinitum deprimit, & in eo moraliter subijcitur, ut dictum est; charitas autem dicitur infinita secundum quid, non ex eo quod subijcit, & deprimit, sed ex eo cui subijcit, nempe Deo infinito. Sunt ergo illæ infinitates disparatæ, & ex diverso fonte manantes; ideòque una per aliam digne compensari non potest.

Obj. 2. Per peccatum mortale non læditur jus, seu honor Dei: ergo ruit fundamentum nostrum. Prob. Ant. Quia alias sequeretur, quod in quolibet peccato mortali foret duplex malitia, alia injustitiæ contra honorem Dei, alia propria ex parte objecti, puta intemperantiæ in peccato gulo: atqui consequens est falsum. Ergo. Prob. Min. Dum subditus transgreditur legem, seu præceptum Regis, non ideo dicitur esse injurius, seu injustus contra honorem Regis, quem non lædit, nec ad hujusmodi honoris reparationem adstringitur, nisi forte verbis contumeliosis legem, aut legislatorum affecisset. Ergo. R. N. Ant. ad prob. N. Conseq. Disparitas est, quod Princeps creatur sit quidem legislator, sed non ultimus finis actuum humanorum; unde transgressio legis ejus est tunc contra obedientiam, non tamen directè contra debitum honorem: sed Deus est ultimus finis, & ad hoc strictum jus habet. Unde in quolibet peccato mortali, cujus ultimus finis est creatura, violatur jus Dei, & summè inhonoretur, dum vili creaturæ in affectu peccantis postponitur. Advertendum tamen, duplicem esse inhonorationem; alteram intentam, cum expressè intenditur contemptus Dei, ut in peccatis blasphemiarum, & similibus; alteram consequentem, quam quidem læditur jus, id tamen non intenditur, licet reverè veniat: & sic læditur jus divinum in quolibet peccato mortali.

Inst. Si in quolibet peccato inhonoretur Deus, ergo debet compensari peccatum per honorationem contrariam. Ergo per religionem, & non per poenitentiam. Prob. Illatio; quia honorem exhibere Deo pertinet ad religionem. R. N. secundum illationem. Ad prob. D. Exhibere honorem Deo ut primo principio pertinet ad religionem, C. Deo ut offenso, & placando, N. Aliud est ergo reddere honorem Deo, ut primo principio per modum cultus, quod pertinet ad religionem: aliud reddere jus læsum in honore, quod pertinet ad justitiam, vel imperfectam, ut in poenitentia, vel perfectam, ut in Christo. Ità contingit etiam inter homines; non enim pertinet ad eandem virtutem reddere honorem debitum alteri, & rescirare jus honoris ablatum: hoc quippe pertinet ad justitiam, si quidem, in reddendo illo honore, non tam respicitur honor ipse, quam jus, quod læsum est in honore.

Repones. Inter Deum, & hominem non datur justitia strictè dicta: ergo nec injustitia. R. N. Conseq. Ideo enim non potest dari inter Deum, & hominem injustitia propriè dicta, quia homo non potest reddere Deo æquivalentem; potest tamen reddere jus supremum Dei, & hæc ratio committit contra Deum

Theol. Billuart, Pars Tertia.

injustitiam: sicut homo, qui ex paupertate non potest reddere quod furatus est, non potest hunc justitiam actum exercere, licet tamen furando, veram injustitiam commiserit. Nec mirum, quod homo non possit aliquando actum virtutis exercere, licet possit actum vitii oppositi; quia bonum ex integra causa, malum ex quovis defectu.

Obj. 3. Meritum condignum gratiæ remittentis peccatum est condigna satisfactio pro illo: atqui homo purus potest à Deo constitui caput aliorum in ordine gratiæ, & sub hac qualitate illis mereri condignè gratiam remissivam peccati. Ergo. Minor traditur à pluribus Thomistis, Joanne à S. Thom. 1. 2. q. 114. art. 6. Et hic disp. 1. art. 2. ad 6. Aravio, Serra, & aliis: nec in ea ulla apparet repugnantia. Prob. Maj. Abolere peccatum, & extinguere omnem debitum ex eo contractum, est condignè satisfacere pro illo: atqui meritum condignum gratiæ remittentis peccatum ipsum aboleret, & omne debitum ex eo contractum extingueret. Ergo. R. N. Maj. Alia enim est ratio meriti, alia ratio satisfactionis. Ratio meriti respicit præmium, seu retributionem, & pertinet ad justitiam distributivam; ratio autem satisfactionis respicit recompensationem æqualitatis, pertinetque ad justitiam commutativam, qua jus alterius læsum resciratur, & adæquatur. Et potest contingere, quod aliquis mereatur gratiam justificantem, seu remissionem peccati pro altero, dandam secundum formam justitiæ distributiæ, & in recompensationem, seu præmium meritorum ejus; nec tamen detur ista remissio secundum formam justitiæ commutativæ, rescirando ad æqualitatem jus læsum. Sic v. g. si Rex, attendens ad egregia facta alicujus militis, in eorum præmium velit remittere Petro crimen læsæ Majestatis, seu mille aureos, quos debet, illa remissio non fit per modum satisfactionis ad æqualitatem, sed in recompensationem, & præmium meritorum istius militis: alius ergo est titulus meriti, alius satisfaciens. Unde ad Prob. D. Maj. Abolere peccatum, & extinguere omne debitum ex eo contractum per opera valoris adæquantis injuriam peccati, est satisfacere condignè pro illo, D. Maj. secus, N. Maj. Et ad hunc sensum, D. Min. Nunquam enim purus homo, ut dictum est, quantumvis elevatus, & inde humiliatus tantum honoris Deo tribuit, quantum ipsi ablatum est per peccatum: unde in casu posito Deus tollerit ejus culpam non vi compensationis sibi factæ, sed volens per condonationem peccati præmiare meritum sibi exhibitum, ut patet in exemplo Regis adducto.

Obj. 4. contra 2. conclusionem. Per peccatum veniale læditur verè, & simpliciter jus Dei, ideòque fit ipsi injuria; atqui hoc jus est infinitum: ergo talis læsio rescirari non potest ad æqualitatem per personam finitam, ut dictum est de peccato mortali. Prob. Maj. Deus habet jus, ut sit finis ultimus cujuscumque actus humani, non solum habitu, sed etiam actu. Atqui peccati venialis non est finis ultimus actus, sed tantum habitu: ergo. Patet Maj. Quia Deus ad illa omnia habet jus, ad quæ potest se extendere causalitas finis ultimi: causalitas autem finis ultimi non solum nata est extendi ad actus humanos secundum habitum, sed etiam secundum actualem relationem. R. N. Maj. ad prob. D. Maj. Deus habet jus, ut sit finis ultimus cujuscumque actus humani, non solum habitu, sed etiam actu, eodem inodo respectu utriusque, N. Maj. diverso modo, C. Maj. Et concessa Min. N. Conseq. Est igitur Deus finis ultimus habitu operis, in quantum immediate finalizat operantem; est autem finis ultimus actu operis mediè, mediante scilicet finalizatione operantis. Nam finis ultimus non potest finalizare actum, nisi finalizet ipsum operantem, quia finis ultimus est finis operantis, non solum operis; & est causa, cur efficiens causet, & operetur. Unde causalitas causæ finalis non potest extendi ad ipsum actum, nisi mediante operante, & finalizando ipsum. In hac igitur finalizatione operantis est radicaliter tota ratio divini juris, licet impediatur extensio, qua derivatur in actum, ut fit in peccato veniali. Unde, quando non tollitur jus supra ipsum operantem, sed tantum retardatur, & impeditur, nec exeat in opus, non tollitur jus à Deo etiam quod habet, ut opus ad se referatur actualiter, quia manet radicaliter hoc jus, quando operans manet ei subordinatum, licet impeditur. Et ideo non requiritur, quod aliqua persona cedat juri suo, ut ad æqualitatem satisfaciatur: sed quod retardationem ipsam tollat ex vi ipsius finalizationis habitualis, seu subjectionis operantis ad Deum, in qua radicaliter conservatur jus divinum, ut dictum est, etsi non explicetur.

Inst. Deus verè remittit peccatum veniale: unde in oratione Dominica dicimus: *Dimitte nobis debita nostra*. Ergo verè injuria est, alius non esset materia remissibilis: iterum ergo gratis condonatur, non enim dicitur aliquid remitti, nisi quod gratis condonatur. R. ad illationem, peccatum hoc sensu esse injuriam offensivam Dei, quatenus est contra ejus legem, non tamen contra finem legis, & amicitiam Dei: unde non est injuria simpliciter dicta, sed tantum secundum quid. Ad 2. illa-

ad finem: ergo. Prob. Maj. Ex Concil. Trid. sess. 6. c. 7. ubi dicitur gloriam Christi esse finem nostrae praedestinationis; & ex 1. Cor. 3. ubi dicitur: *Omnia vestra sunt: vos autem Christi. Christus autem Dei.* Ergo R. quoad praedestinos, solutionem esse jam datam: quoad alias creaturas, D. Maj. Christus ut incarnandus est finis operum Dei, Subdistinguo: operum Dei jam productorum, seu intentionum, C. productionis, seu intentionis eorum, N. Non enim Deus ex previa intentione Christum glorificandi, omnia producere voluit, sed totum universum prius intentum, & nostram salutem prius voluit ordinavit in gloriam Christi. Unde Christus debet potius dici finis rerum productarum, quam productionis earum. Et hoc sensu intelligendae sunt auctoritates allatae.

Inst. 2. Saltem Christus est propinquior fini, nempe manifestationi gloriae Dei, quam ceterae creaturae, & salus hominum: atqui ordinat volens prius vult propinquiora fini, quam remotiora: ergo. R. D. Maj. Est propinquior fini in movendo, seu in ordine causalitatis, N. In essendo, seu in ordine perfectionis, C. Et sic distincta Min. N. Conseq.

Inferes. Ergo Deus plus dilexit hominem, quam Christum; finis enim magis diligitur eo, quod propter illum amatur. R. N. Illationem. Patet ex dictis; licet enim Deus voluerit Incarnationem Christi, propter redemptionem hominis, ipsam tamen redemptionem ordinavit ad ipsius Christi gloriam, eique plura bona, & commoda contulit, quam omnibus hominibus, simul sumptis; unde ipsum plus amavit. Ad probationem dico, veram esse de fine ultimo, non autem de fine intermedio, seu, ut dicit Contenson, de fine necessitatis respectu medii ex natura sua ipsi subordinati, non autem de fine voluntario pietatis, & charitatis; sic v. gr. qui ex charitate ministrat infirmo, non ideo plus diligit infirmum, quam se. Adde, Redemptionem, ut praecisam ab Incarnatione, non tam esse finem Incarnationis, quam materiam, circa quam versatur, ut dicitur est ex Joann. a S. Thom.

Repones. Perversitas ordinis est ordinare nobilius, & perfectius ad minus perfectum, & minus nobile: atqui Incarnatio est quid nobilius, & perfectius redemptione, seu salute generis humani. Ergo. R. D. Maj. Perversitas ordinis est ordinare nobilius, & perfectius ad id, quod est minus perfectum, & minus nobile tanquam ad finem ultimum sui perfectivum, C. Maj. Tanquam ad finem intermedium perfectibilem, & ulterius ordinatum ad bonum nobilius, & supremum, N. Maj. Sic v. gr. nulla est perversitas, quod Deus ordinet Angelos ad nostram custodiam propter gloriam suam; quod medicus visitet infirmum peste laborantem, propter bonum Republicae; quod Sacerdos celebret Missam, pro sanitate restauranda in ordine ad bonum commune, & gloriam Dei. Sic autem est in nostro casu; ita enim Deus vult Incarnationem propter redemptionem generis humani, ut, & ipsam redemptionem ordinat ad ipsius Christi gloriam, & ipsum Christum sicut, & cetera ad gloriam suam. Et sic solvet auctoritatem Cyrilli l. 5. Thesauri c. 3. contra Arianos, ubi dicit: *Si propter nos factus est Filius, & non propter Filium nos, erimus nos ipso multo praestantiores: id est, si propter nos tanquam propter finem ultimum factus est Filius; patet ex sequenti terminis, & non nos propter ipsum.*

Urgetis. Effectus sequens ex efficacia intentionis Christi incarnandi non potest esse finis etiam intermedius, nec motivum talis intentionis: atqui redemptio est effectus intentionis Christi incarnandi; in Christo enim, & per Christum Deus nos elegit ad gloriam: ergo. R. D. Min. Redemptio ut voluta, per voluntatem consequentem est effectus intentionis Christi incarnandi, C. Min. Ut voluta per voluntatem antecedentem, & providentiam generalem, qua Deus vult omnes salvos facere, & redimere, N. Min. Hoc enim modo est finis, & motivum, non effectus Incarnationis, ut probatur est. Postquam enim Deus decrevit permittere lapsum, voluit mereri, & redimere; ad hoc autem tanquam medium elegit Incarnationem Christi, in qua postea aliquos efficaciter elegit ad gloriam, alios relictis, ut jam vidimus.

Inferes. Ergo voluntas antecedens redimendi omnes homines, adeoque gratia sufficientes ex illa manentes non erunt ex meritis Christi; quod est absurdum. R. D. Conseq. non erunt ex meritis Christi, ut finis, Trans. non erunt ex meritis Christi, ut mediis, N. Quia illa voluntas redimendi dependet a Christo, ut a medio; vult enim Deus redimere per Christum: licet possit etiam dici, quod omnia dependant in executione a Christo, ut a fine, ratione decreti in ultimo signo.

Porro ad abundantiorum solutionem totius hujus argumenti, quod praecipuum est, nota 1. illud cum omnibus ferme instantiis suis posse retroquari in Scotistas. Dicunt enim, decretam fuisse Incarnationem, quoad substantiam, ut Christus nos justificaret, glorificaret & naturam nostram dignificaret. Ita Henno ex Scor. & Scotistis. Infero 1. Ergo nostra iustificatio, glorificatio, naturae nostrae exaltatio est finis, & motivum Incarnationis, quoad subs-

tantiam; finis autem prius intenditur quam media; adeoque Christus non est initium viarum Domini, nec primogenitus omnis creaturae. Infero 2. Ergo Deus plus dilexit hominem, quam Christum. Infero 3. Ergo est perversitas ordinis ordinare perfectius ad minus perfectum.

Nota 2. Quod, licet distinxerimus varia signa, seu instantia in Deo, Deum tamen unico instanti reali, & unico actu omnia simul velle, & decernere; adeoque eodem actu, & instanti reali decrevit mundum, permisit peccatum, voluit Christum, ut redemptorem, & ut finem omnium suorum operum: unde, licet Christus pendeat a peccato, seu redemptione hominis tanquam a causa materiali perficienda, & in hoc genere praecedat peccatum secundum modum nostrum concipiendi; Redemptio tamen pendeat a Christo tanquam a fine perficiendo; & in hoc genere causae finalis, & perficiens praecedit Christum ipsam redemptionem, ita ut simul volita dependant ab invicem in diverso genere causae. Non enim existimandum est, Deum unum voluisse independentem ab alio, sed voluit Redemptionem, ut perficiendam per Christum, & voluit Christum ut perficientem, seu ut redemptorem: ita ut neutrum voluerit in ullo signo rationis sine ordine ad aliud. Sicut in omni signo rationis Deus vult materiam, ut actuabilem a forma, & formam, ut actuantem materiam; non autem in aliquo signo vult Deus formam priusquam materiam, seu independentem ab illa. Unde dicimus, formam esse priorem in genere causae formalis, materiam in genere causae materialis. Ita similiter in nostro casu, proportione servata. Non ergo praedestinat est Christus simpliciter, sed ut Redemptor; adeoque dicens ordinem, seu sub ordine ad naturam humanam reparandam, quae ideo debet supponi ut perditam.

Obj. 2. cum P. Henno, S. Cyrillus Alex. l. 5. Thesauri c. 8. dicit: *Profundatur ante nos Christus; & in ipso nos omnes superaedificamur, idque ante initium mundi in praesentia Dei.* Postea subdit, *Creator noster Christum salutis fundamentum etiam ante initium mundi formavit, ut, si praevocatione caderemus, in ipso rursus revocaremur.* Ergo supponit Christum in intentione divina, antequam praevideretur peccatum, alias non dixisset: *ut, si praevocatione caderemus.* Irenaeus l. 5. contra Haeres. c. 14. docet, quod prius in intentione Dei fuerit salvans, nempe Christus, quam salvandi, scilicet homines. Ergo. R. hos Patres, quibus maxime innotuit obiectis, curd tenere nostram sententiam: constat ex probationibus Conclusionis; imo quantum ad Cyrillum eo ipso loco, quem obicit Henno, scilicet l. 5. Thes. c. 8. ubi dicit: *Sed Deus, qui futura omnia novit, aeternaliter quoque fundavit, quantum ad cognitionem suam Filium suum, hoc est, fundamentum illud futurum constituit, ut nos superaedificati in ipso, a corruptione in incorruptionem resurgamus; sciat enim mortales nos futuros propter peccatum, ac ideo ex misericordia sua, ante saecula constituit, ut Verbum suum homo, & initium viarum, & fundamentum fieret.* Constat ergo juxta Cyrillum, quod, quia Deus praevidit hominem casurum, praedestinavit Christum, ut initium viarum, scilicet supernaturalium, seu naturae reparandae, & ut fundamentum totius aedificii supernaturalis. Itaque priora verba Cyrilli in objectione laudata, & altera S. Irenaei, intelligenda sunt vel de praedestinatione Christi relative ad efficacem praedestinationem nostram, quae est decreto Incarnationis posterior; vel quod Christus ut glorificandus sit prior, quia omnia ipsi sunt subjecta, ut dictum est, non ut incarnandus. Ad posteriora verba Cyrilli, ut, *si praevocatione caderemus, &c.* vult tantum innuere, Deum misisse Filium suum, ut, redemptionem semel posita, dum postea cadimus, ejus meritis resurgere valeamus. Obicit insuper Henno Rupertum; et potuisset addere Alensem, & quosdam alios: sed quid sunt tam pauci contra nubem Patrum contrarie sententiae?

Obj. 3. si decretum Incarnationis supponat praevium peccatum originale in Adam, ergo etiam omnia peccata actualia omnium posterorum; falsum consequens: ergo & ant. Prob. sequela maj. Tum quia, si propter originale, etiam propter actualia peccata redimenda venit Christus; tum quia ex originali actualia oriuntur, tum tandem, quia pertinet ad ordinem naturae, sicut peccatum originale. Prob. M. Multa peccata patrata sunt in ipsum Christum, utpote blasphemantium in eum, & crucifigentium: atqui ista peccata non potuerunt praevideri ante Christum. Insuper multi homines nascuntur ex meritis Christi, nempe ii, qui nascuntur per miraculum. Ergo. R. D. sequela maj. Ergo omnia peccata actualia omnium posterorum supponuntur praevia ante decretum Incarnationis implicitè, C. seq. Supponuntur praevia explicitè, N. seq. & sic distincta min. N. Conseq. Nec aliud evincitur ex probationibus majoris, ex eo enim quod propter actualia peccata redimenda venerit Christus, evincitur tantum, quod praevisionem eorum debuerit praecedere virtualiter, aut formaliter, implicitè, aut explicitè, non necessarium explicitè, & formaliter, quod omnes circumstantias: sufficit ergo, quod sit praevium universale, & generale peccatum, in

cujus virtute omnia illa continentur, & ad omnia illa redimenda Deus decrevit mittere Redemptorem. Similiter ex eo quod peccata actualia ex originali deducuntur, & pertinent ad ordinem naturae, solum inferitur, quod in virtute, & implicitè, ac sub ea praecisa ratione, qua pertinent ad ordinem naturae, & a primo originantur, praevideantur; quod est implicitè praevideri. Observandum itaque, quod, cum instantia, quae distinximus in Deo, & ea, quae in ipsis ordinantur, sint ad invicem connexa saltem ex determinatione voluntatis divinae, & quaedam ordinantur in uno instanti, quaedam in alio, fieri non potest, quod aliquid completerè, & perfectè praevideatur cum omnibus ad se pertinentibus in uno instanti. Sic effectus, qui pendeat a pluribus causis, quae sunt sibi invicem causae, non potest in una prioritate naturae, qua consideratur ut dependens ab una causa, adaequate, & complete cognosci, donec consideretur ut pendens ab altera causa, quae in suo genere est etiam prior.

Obj. 4. Adam cognovit in statu innocentiae futuram incarnationem Verbi: atqui in hoc statu non cognovit peccatum suum futurum, alias tristatus fuisset, quod repugnat illi statui: ergo peccatum non est causa, seu motivum Incarnationis. Prob. conseq. Naturale est homini, cognitio effectus, apperere causae cognitionem, ita ut si ignoret, non queat, sed tristetur animus. Ergo, si peccatum Adae fuit causa motiva Incarnationis, cognita Incarnatione, etiam peccatum suum cognovit. R. D. conseq. Ergo peccatum Adae non est motivum primarium Incarnationis, C. Conseq. Est enim gloria Dei: non est motivum proximum, N. Porro cognovit Adam Incarnationem esse ad consummationem gloriae, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 7. & hoc sufficiebat, ut ab illo tolleretur anxietas, licet motivum proximum ignoraret: eo potiusquam quod Incarnatio non penderet ab hac causa ex intrinsicis, sed ex determinatione Dei voluntaria.

Obj. 5. Si Adam non peccante, non venisset Christus, sequitur, quod, Adam non peccante, nullus praedestinat fuisset. Absurdum consequens, ergo. Prob. Maj. Nullus praedestinat est nisi in Christo, & per Christum: atqui non venisset Christus, Adam non peccante: ergo Adam non peccante, nullus praedestinat fuisset. R. D. Maj. Si, &c. nullus praedestinat fuisset vi praesentium decretorum, C. Vi aliorum decretorum, quae Deus habuisset, N. Christus ergo est causa nostrae praedestinationis prout nunc est, sed non prout tunc fuisset.

Instab. Gratia justitiae originalis, Adam collata ante peccatum, est effectus ejus praedestinationis, adeoque est ex meritis Christi, si quidem Adam non secus, ac ceteri homines sit praedestinat in Christo, & per Christum. Ergo Christus fuit praedestinat in independentem a peccato. Prob. Ant. Illi gratiae, quavis per peccatum mortificatae, quia tamen per poenitentiam revixit, correspondet gradus gloriae: atqui gratia, cui respondet gloria, est effectus praedestinationis, & est ex meritis Christi: ergo. R. N. Maj. Ad prob. D. Maj. Illi gratiae correspondet gradus gloriae ratione reparandae, factae per Christum, C. Seclusa ista reparatione, N. Licet ergo verum sit, illi primae gratiae correspondere aliquem gradum gloriae, quia tamen illa gratia semel mortificata non mansisset in acceptatione divina, nisi Deus statuisset mereri peccato per Incarnationem, ideo solum ut reparata profuit ad gloriam.

Obj. 6. Non est credibile, Deum permisisse peccatum ex solo fine manifestandi gloriam suam, sed potius ex fine Incarnationis praesentiae ex alio motivo: ergo &c. R. cum Contenson, nos non posse, nec debere prescribere rationes, cur Deus voluerit peccatum permittere, judicia enim Dei abyssus multa, praesentium cum habemus ex Scriptura Incarnationem esse propter peccatum, neutiquam autem peccatum propter Incarnationem: non enim dicitur: sic Deus dilexit Christum, ut peccatum permiserit, sed e contra dicitur: sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.

Inferes 1. Ergo Incarnatio erit bonum occasionatum. 2. Ergo anima Christi debuit gaudere de peccato nostro, & nobis gratias agere, quod illi dederimus occasionem essendi: quae videtur absurda. R. D. primam illationem. Ergo Incarnatio est bonum occasionatum proprie, N. improprie, C. Dicitur proprie occasionatum, quod est praeter intentionem agentis, & a casu: hoc sensu Incarnatio non est occasionata. Improprie dicitur occasionatum, quod pendeat ex aliqua occasione, licet sit intentum ab agente; & sic Incarnatio est bonum occasionatum, quia non est inconveniens, quod occasione mali tantum bonum Deus eliciat.

Replicabis. S. Thom. 1. 1. q. 98. art. 1. docet, in statu innocentiae fore matrimonium ad propagationem generis humani, quia tale bonum non debet esse occasionatum ex peccato, sed per se intentum. Ergo a fortiori Incarnatio, quae est majus bonum propagatione generis humani, non debet esse bonum occasionatum etiam improprie ex peccato, sed per se intentum. R. N. Conseq. Disparitas est, quod propagatio generis humani

sit bonum ex natura rei debitum, adeoque per se intendendum, & non ex occasione peccati. Incarnatio autem est bonum gratuitum, & ex misericordia Dei, adeoque ex peccato occasionatum, quia miseria est objectum misericordiae.

Ad 2. illationem. N. illam pro utraque parte. Neque enim nos dedimus occasionem essendi Christo per se, & ex intentione nostra, sed per accidens ex intentione Dei, qui ex peccato Adae, tanquam ex occasione incarnationem Verbi decreverit voluit. Unde non nobis debet gratias agere anima Christi, sed soli hominibus, & misericordiae Dei, quae ex tanto malo tanquam ex occasione produxit tantum bonum.

Repones. S. Anselmus l. 1. *Cur Deus homo* cap. 18. probat, homines futuros esse beatos, etiamsi Angeli non peccassent; quia alias homines possent letari de peccato Angelorum, ergo similiter in nostro casu Christus possent letari de peccato nostro. Respondet P. Lemos Tract. 5. cap. 4. hanc rationem S. Anselmi non esse cogentem, sed topicam tantum, seu probabilem; non enim evincit, quod homines in illo casu deberent gaudere de peccato Angelorum, sed de misericordia Dei, qui occasione peccati Angelorum tantum bonum eis contulisset. Respondet Bancel, S. Anselmum loqui contra Haereticos sui temporis, qui volebant ruinam Angelorum esse medium necessarium a Deo intentum ad gloriam hominum; ex quo bene inferit, quod in illa hypothesi homo deberet gaudere de ruina Angelorum; non sic autem in nostro casu: non enim peccatum fuit medium necessarium ad Incarnationem. Quam voluerit solutionem, elige.

Obj. 7. Esto Christus venerit in redemptionem generis humani, haec tamen non fuit causa sola, nec principalis ejus adventus. Ergo. Prob. Ant. Prima, & principalis causa motiva Incarnationis fuit gloria Dei, deinde nobilitatio, & perfectio naturae humanae, consummatio ordinis gratiae, complementum universi, & ipsa mysterii hujus excellentia. Unde Ecclesia cantit in Symbolo: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de caelis; & incarnatus est.* Ubi dux afferuntur causae adventus Christi in carne. Prima, *propter nos homines*, scilicet nobilitandos, dignificandos, & glorificandos, quod fuit primo decretum independentem a peccato. Secunda, *& propter nostram salutem*, seu redemptionem, quod fuit secundo decretum praevio peccato, R. N. Ant. Ad 1. probationem seu primam causam allegatam, D. Causa principalis motiva remota fuit gloria Dei, C. Proxima, N. Haec enim fuit redemptio generis humani. 1. enim Deus intendit equidem gloriam suam, deinde praevio peccato, in ejus remedium elegit Incarnationem, ut per viam misericordiae, & justitiae gloriam suam magnificeret. Unde vi praesentis decreti ex solo fine gloriae Dei, peccato non existente, Christus non fuisset incarnatus. Ad alias causas motivas propositas, non negamus, Deum his de causis, & aliis potuisse incarnari, sed vi praesentis decreti de facto ita fuisse negamus, propter rationes allatas in probationibus. Ad id, quod opponitur ex Symbolo, R. To, & non ibi sumi multiplicativè, sed explicativè, quasi diceret: propter nos homines, id est, propter nostram salutem, seu propter nos salvandos.

Inst. Ex pluribus Scripturae locis habemus, Christum venisse ut Concionatorem, Pastorem, Regem, Ducem, Magistrum: atqui haec officia videntur independentia ab officio Redemptoris: ergo. R. D. Min. Haec officia videntur independentia ab officio Redemptoris absolute, C. Min. Ut Christo, N. Min. Haec enim officia ut a Christo exercita officium Redemptoris supponunt, & implicitè involvunt. Et 1. concionator est Christus *captivis indulgentiam*, juxta illud Isai. 61. *Spiritus Domini super me. ut mederer contritis corde, & praedicarem captivis indulgentiam.* 2. Pastor missus est, ut quareret, & salvam faceret ovem, quae perierat, ut constat Luc. 15. & Ezech. 34. 3. Venit ut Rex, & Dux ad salvandum populum; juxta illud Isai. 33. *Domine Rex noster: ipse salvabit nos.* 4. Venit ut Magister, ut nos verbo, & exemplo errantes ad viam salutis reduceret. Et ideo dicit S. Thom. hic ad 1. *Quod omnes aliae causae pertinent ad remedium peccati.*


Obj. 8. Plura simul compendiosè. 1. Ad omnipotentiam divinae virtutis pertinet, ut & opera sua perficiat, & se manifestet per aliquem effectum infinitum: sed in sola Incarnatione videtur perferri universum per hoc, quod ultima creatura, scilicet homo primo principio conjungatur; & initium haberi effectum per hoc, quod infinite distanti jungatur; ergo. 2. Per peccatum humana natura non est facta capax gratiae; sed post peccatum est capax gratiae unionis, quae est summa gratia: ergo & ante peccatum: ergo etiam tunc Deus non subtraxisset ipsi bonum, cujus erat capax. 3. Beatior est accidentaliter beatitudine homo videns Christi humanitatem gloriosam oculis corporis: atqui non fuisset minus beatus, etsi non peccasset: ergo. 4. Ideo supra diximus, Deo convenire incarnari, quia est summum bonum, cui convenit summo modo communicari: atqui independentem a peccato est summum bonum: ergo. 5. Christus ut homo est caput Ecclesiae; fuisset autem Ecclesia, etiam homine non

Ad que peccata delenda venerit Christus?

non peccante: ergo. Confr. In statu innocentie fuit Ecclesia: ergo dicebat ordinem ad Christum, alias Ecclesia Christi non fuisset ab initio. 6. In statu innocentie matrimonium significabat conjunctionem Christi cum Ecclesia, intellige secundum carnem.

R. ad r. (Ibid. ad 2.) quod in ipso modo productionis rerum ex nihilo divina virtus inimita ostenditur. Ad perfectionem etiam Universi sufficit, quod naturali modo creatura ordinetur in Deum, sicut in finem; hoc autem excedit limites perfectionis nature, ut creatura uniat Deo in persona. Ad 2. (Ibid. ad 3.) R. naturam humanam per peccatum non esse factam capacio- rem gratie unionis, sed indigentioris; adeoque aptioris, ut in ea simul cum iustitia exerceretur summa misericordia. Porro, licet Deus semper impleat capacitatem creaturæ naturalem, non tamen semper capacitate obedientiam, qualem habet creatura ad unionem hypostaticam: unde N. ultimam illationem. Nec inconveniens reputat S. Doct. ibidem, naturam humanam ad aliquid majus esse productam post peccatum; Deus enim permittit mala fieri, ut inde aliquid melius eliciat. Unde dicitur ad Rom. 5. Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia. Et hinc patet Responsio ad 3. Ad 4. R. communicationem actuali- am ad extrã Deo convenire per modum liberi, ut iam supra dictum est, adeoque nullum foret inconveniens, si de facto non se communicaret homini, sicut nec se communicavit Angelis. Est ergo solum de ratione summi boni, quod ipsi sic consentaneum se communicare, non actualis communicatio. Ad 5. R. quod, homine non peccante, Deus fuisset caput Ecclesie, cujus membra cum fuissent integra, ad invisibilem Verbi gubernationem suffi- cienter fuissent disposita. Ad confirmationem dico, in statu in- nocentie fuisse Ecclesiam materialiter tantum, & in potentia, in quantum persone illæ futuræ erant membra Christi, non tam- en formaliter; quia ille status formaliter ut talis non pende- bat a Christo venturo. Ad 6. R. verum esse Ant. Quia reverã futura erat Incarnatio, & hoc Deus præciebat, qui mulierem viro conjungebat. Si verò non fuisset peccatum, solum significas- set unionem Dei cum Ecclesia secundum affectum, & chari- tatem.

Petes, utrum, non existente peccato, Verbum incarnatum fuisset vi alterius decreti? R. id incertum nobis esse, ut jam dixi- mus, cum nullibi id nobis revelatum sit, pendeatque ex mera Dei voluntate. Nec sufficit quasdam asserere congruentias, quia divina voluntas utpotè liberrima illis congruentiis non astringit- ur. Itenim, ut bene advertit Contensonus, quando Theologi asserunt congruentias divinatorum operum, non tam sunt acci- piendæ ut convenientie operis faciendi, quam operis facti: quia etsi opus illud factum non esset, ejus negationis non deessent convenientie: v. g. quod Deus noluit assumere naturam Ange- licam, conveniens est; & tamen, si eam dignatus fuisset assu- mere, non deessent convenientie. Prima ergo convenientia ope- ris alicujus faciendi est executio divinæ voluntatis; quam im- pleri summè decet, & cui, si oppositum decrevisset, rationes non defuissent. Ita laudatus Theologus.



DISSERTATIO VI. DE QUIDDITATE INCARNATIONIS, SIVE DE IPSA UNIONE HYPOSTATICA.

Div. Thom. Quest. 2.

ARTICULUS I.

Utrum unio Verbi incarnati facta sit in natura, vel in Persona?

Natura hic sumitur (Q. 2. art. 1. o.) pro perfecta rei essen- tia, quæ definitione essentiali explicatur; seu pro eo quod quid est: ita tamen, quod non intelligatur natura sola commu- nis, sed etiam singularis, & individua, qualis est in Christo. Uniri verò in natura est sic uniri, ut ex unione resultat tan-

tum una natura, sicut ex corpore, & anima, ex materia, & for- ma, una tantum exurgit natura.

Persona est intellectualis nature, & incommunicabilis sub- stantia. Uniri autem in persona est uniri personæ, non constituen- do aliam personam ab ea, cui unitur; ac proinde unionem factam esse in persona, est, naturas sic fuisse unitas, ut unio seu unio terminata fuerit ad unam personam in utraque natura subsistentem.

Nestorius (Ibid. art. 6. o.) negavit, unionem nature huma- næ, & divinæ in Christo factam fuisse in persona, seu ex hac unio-

unione resultasse unam personam, quæ simul esset Deus, & homo; sed dicebat, Christum esse personam creatam, atque purum hominem, cui erat unum Verbum divinum unione acci- dentali, seu morali: 1. Secundum inhabitationem, in quantum scilicet divinum Verbum habitavit in illo, sicut in templo; spe- cialiiori tamèn modo, quàm in aliis justis. 2. Per unitatem, seu conformitatem affectus, quatenus hominis voluntas semper erat conformis voluntati Verbi. 3. Secundum operationem, qua di- cebat hominem illum fuisse divini Verbi instrumentum. 4. Secun- dum dignitatem honoris, quatenus honor exhibitus Filio Dei exhibebatur etiam filio hominis, non propter se, sed propter eum, cui conjunctus erat. Ex hoc falso principio sequebatur 1. Verbum non esse verè incarnatum. 2. Duas esse personas in Christo, unam divinam, alteram humanam; duos Filios, alte- rum Dei, alterum hominis. 3. B. Mariam virginem nec esse, nec dici posse matrem Dei, seu Theotocum; sed Christi tantum, seu Christotocon. 4. proprietates utriusque nature in Christo non posse de se invicem prædicari; sicut non posse dici: Deus est homo, homo est Deus, Deus est natus, passus, mortuus, &c. His contraria quandoque visus est verbotenus adstruere Nesto- rius, sed sensu suo hæretico, & juxta principium positum in- telligebat, ut videbimus infra.

Eutyches, (Ibid.) ardentiori zelo Nestorium aversus, in extremum errorem ex imperitia impelgit, ut enim unitatem per- sonæ in Christo pugnet contra Nestorium, unitatem etiam nature adstruxit; dixitque, quod, licet ante incarnationem, seu unionem fuissent duæ nature, post unionem tamen in unam coalescerint, sive utriusque confusione, & mixtione; sive conversione unius, nempe humane in divinam; sive compo- sitione utriusque, tanquam partium imperfectarum. Qui ultimus modus tribuitur discipulis Eutychemis, & quem sequuntur Ar- meni, nimis literaliter usurpantes illud S. Athanasii: Sicut ani- ma rationalis, & caro unus est homo; ita Deus, & homo unus est Christus. Unde dicebat Eutyches, Christum esse ex duabus nar- ris, non in duabus; nec esse nobis constubstantialem se- cundum carnem; Deitatemque passam, sepultam, &c. Facta historiæ has hæreses spectantia discutiemus in Digress. ad cal- cem hujus Dissertationis. Veritas Catholica, quæ totius Reli- gionis nostræ est fundamentum, media est inter hos duos ex- tremos errores; distinctio naturarum naturarum contra Eutychem, unitatem personæ adversus Nestorium propugnat. Unde

Dico 1. (Ibid. art. 1. o.) Unio Verbi incarnati non est facta in natura; sicut natura divina, & humana non coalescerunt in unam, sed utraque inconflua, & impermixta mansit integra, uni personæ Verbi unita.

Dogma fidei est, definitum contra Eutychem in Concil. Chalced. act. 1. 4. & 5. Constantin. 2. Can. 7. & 8. & a S. Leo- ne in celebri Epistola ad Flavianum, recepta; & probata in Concil. Chalcedon. Sicut profitemur universa Ecclesia in Sym- bolum, quod dicitur Athanasii: Unus autem, non conversione di- vinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum: unus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate personæ.

Prob. ex Scripturis 1. quæ passim agnoscunt Christum Deum, & hominem, seu duplicem esse in eo naturam. Ex veteri Testa- mento Baruch. 3. Hic est Deus noster... post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est. Isai. 9. Parvulus enim natus est nobis, & vocabitur nomen ejus. Deus fortis. Ibid. 45. Hec dicit Dominus. post te ambulabunt, vinceti manibus pergent: & te adorabunt, teque deprecabuntur. verè tu es Deus abscon- ditus. His, & similibus loquendi formulis aperte exprimitur Chris- tus Deus, & homo. Confer articulum 1. præcedentis Dissert. Ex novo Testamento, Philipp. 2. Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exi- navit, formam servi accipiens. En duplex forma, seu natura, Dei, & servi; distincta, non confusa. 1. Joann. 1. Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod pers- peximus, & manus nostræ contractaverunt, de verbo vita. En iterum duplex natura distincta, una divina de Verbo vita; al- tera humana, quæ oculis videtur, & manibus contractatur.

2. Scriptura Christo contraria tribuit, quæ uni nature conve- nire non possunt. 1. Quod sit natus in tempore; & tamèn quod sit ab æterno: Mich. 5. Ex te (Bethlehem) mihi egredietur qui sit dominator in Israel, & egressus ejus a diebus æternitatis. 2. Quod a nobis discedat, Joann. 16. & tamèn quod nobiscum ma- neat in æternum, Matth. 28. 3. Quod de celo descendit, & in terra versatur, & tamèn simul sit in celo, Joann. 3. 4. Quod Pa- ter sit illo major Joann. 14. & tamèn quod sit unum cum Patre ibid. Ro. Hæc, & alia enuntiata de Christo ipsi convenire non possunt, nisi sit simul Deus, & homo.

Prob. ratione Auctoris (Ibid.) Tripliciter aliquid unum ex duobus, vel pluribus constituitur. Uno modo ex duobus integris & completis, perfectis remanentibus: quod quidem fieri non potest nisi in his, quorum forma est, vel compositio, ut acervus lapidum; vel ordo, ut exercitus; vel figura, ut domus ex multis Theol. Billuart. Pars Tertia.

lapidibus, & lignis. Secundo modo fit aliquid unum ex perfectis, sed transmutatis, sicut ex elementis fit mixtum. Tertio modo, fit aliquid unum ex aliquibus non permixtis, & transmutatis sed imperfectis, & incompletis, sicut ex corpore, & anima fit homo: ex pluribus membris unum corpus constituitur. Atqui nullo ex his modis facta est in Christo naturarum unio: ergo. Prob. Min. Non 1. modo; tum quia iste modus unionis non est ad rem, sed potius pertinet ad errorem Nestorii, cum non sit unio substantialis, sed accidentalis; tum quia ex ejusmodi non sit unum simpliciter, sed secundum quid; remanent enim plura actu; tum quia forma talium non est natura, sed magis ars, si- cut forma domus; & sic non constitueretur una natura in Chris- to, ut volunt Eutychemi. Non 2. modo; tum quia quæ mixtio- ne ununtur, mutantur, & corrumpuntur, quod repugnat ver- bo; tum quia mixtum nulli infuscibilem est idem specie, caro enim specie differt a quolibet elementorum: & sic Christus non esset ejusdem nature cum Patre, nec cum matre, nec Deus, nec homo; tum quia ex his, quæ plurimum distant, non potest fieri commixtio; solvitur enim species unius eorum, puta si quis guttam aquæ dolio vini infundat. Et cum natura divina in infi- nitum excedat humanam naturam, non potest esse mixtio, sed remanebit sola natura divina. Tandem non 3. modo; tum quia utraque natura divina, & humana est secundum suam rationem perfecta, & completa; tum quia natura divina, & humana non possunt constituere aliquid per modum partium quantitativa- rum, sicut membra constituunt corpus, quia natura divina est incorporea; neque per modum materiæ, & formæ, quia divina natura non potest esse forma alicujus præsentim corporis, a for- tiori nec materiæ; tum quia Christus non esset nature neque divinæ, neque humanæ; differentia enim addita variat speciem, sicut unitas numerum: ergo.

Dices circa 2. modum unionis: potuisse fieri in Christo trans- substantiationem, seu conversionem nature humane in divinam, sicut panis in altari transsubstantiatur in corpus Christi, licet sit incorruptibile. R. S. Thomam supposuisse, Eutychemianos, con- trã quos ibi agit, non intellexisse, nec prætidisse talem con- versionem in alteram naturam, sed mixtionem in unam ter- tiam; & hoc probabilius est. Si tamèn aliquando Eutyches, aut alii Eutychemiani intellexerint transsubstantiationem humanita- tis in divinam. R. 1. hanc etiam involvere mutationem; corpus enim Christi per panis in ipsum transsubstantiationem etiam mu- tatur secundum quid, quoad scilicet modum existendi; est enim sub speciebus, movetur, manducatur, &c. quo modo prius non erat: unde, licet sit incorruptibile, est tamèn hoc sensu muta- bile, & talis mutatio etiam Verbo repugnat. R. 2. quod post unionem Christus dictus sit, & fuerit homo verus, utpote qui na- tus sit, comederit, biberit, passus sit, & mortuus; & quidem verè, non phantasticè, alias ejus satisfactio, adeoque & redem- ptio nostra fuisset etiam phantastica, & non vera: ergo verè re- mansit natura humana, & non transsubstantiata in divinam.

Dico 2. (Ibid. art. 2. o.) Unio Verbi divini cum natura hu- mana facta est in persona Verbi, sic ut in Christo sit unica Ver- bi persona, unusque sit, & idem Dei, & hominis Filius. Est ite- rum fidei dogma, definitum contra Nestorium in Concil. Ephes. & confirmatum in Conc. Chalcedon. quod quæ universa profitemur Ecclesia in Symbolis fidei. In Symbolo Apost. Credo... & in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui concep- tus est de Spiritu S. natus ex Maria Virgine. In Symbolo Ni- cæno Credo... Deum verum de Deo vero... consubstantialem Pa- tri... qui propter nos homines, & propter nostram salutem des- cendi de caelis, & incarnatus est de Spiritu S. ex Maria Vir- gine, & homo factus est. Quibus verbis profitemur Ecclesia, unum, & eundem, unam, & eandem personam esse Filium Dei, & ho- minis. Unde in Symbolo Athanasii: Unus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Insuper

Prob. ex Scripturis. 1. Juxta Scripturas Filius Dei factus est homo, non conversione divinitatis in carnem (Insuper foret hæc cogitatio) sed assumptione humanitatis in Deum. Joann. 1. Verbum caro factum est. Philipp. 2. Qui cum in forma Dei esset, formam servi accepit. Galat. 4. Misit Deus Filium suum, factum ex muliere. Porro, si Filius Dei factus sit homo, non sunt ergo duo Filii Dei, & homo: ergo unus, & idem physicè, & personali- ter, non moraliter tantum secundum affectum; amicus enim quantumvis intimus non dicitur factus alter, amicus; vel sanctus ferventissimo amore Deo junctus non dicitur factus Deus.

2. Scriptura uni, & eidem Christo tribuit proprietates utrius- que nature divinæ, & humanæ, ut patet ex 2. probatione ex Script. præcedentis conclusionis: ergo vera est persona in dupli- ci natura.

3. Ille, qui Joannis 6. dicebat: Ego sum panis vivus, qui de celo descendi, Joann. 16. Exivi a Patre, & veni in mundum. Joann. 10. Ego, & Pater unam sumus: Ille, inquam, qui hæc dicebat de seipso, erat homo, qui natus, circumcisus, flagellatus, passus, mortuus est: atqui, si duplex fuisset Christus, au-